



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, & vera eligitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

illam non componerent in eodem supposito Verbi Divini, jam non resurgeret idem Christus, qui est persona composita ex hac humanitate & personalitate Verbi Divini. Potestque confirmari ex illo Apocal. 5. *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & divinitatem.* Christus enim divinitatem accepit in resurrectione, per reunionem totius humanitatis cum persona Verbi, quæ fuit veluti restitutio unionis hypostaticæ.

77. Dices primò, Talis unio humanitatis cum persona Verbi, facta in resurrectione, consequitur ad unionem factam in Incarnatione, & ad reunionem partium humanitatis inter se, factam in resurrectione: Ergo non cadit sub merito Christi. Antecedens est certum, ex eo enim quod in Incarnatione humanitas fuerit assumpta à Verbo inamissibiliter, sequitur quod quotiescunque humanitas extiterit, sit unita Verbo Divino: Unde cum in resurrectione humanitas Christi, quæ per mortem destructa fuerat, iterum fuerit reparata per unionem animæ cum corpore, sequitur quod illa humanitas hoc ipso fuerit reunita Verbo Divino. Consequentia verò probatur: Illud non cadit sub merito, quod naturali sequelâ consequitur ad aliud quod gratis concessum est; hæc enim ratione Christus habuit gratiam, beatitudinem, scientiam infusam, virtutes infusas, & dona Spiritus sancti, sine meritis; quia hæc consequuntur ad unionem hypostaticam, quæ gratis illi concessa est: Ergo cum prima unio facta in Incarnatione, & similiter reunio animæ cum corpore facta in resurrectione, fuerint concessæ gratis, & nullis præcedentibus meritis ipsius Christi, idem dicendum erit de restitutione unionis hypostaticæ facta in resurrectione.

78. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: Ad probationem dicendum illud quod naturali sequelâ consequitur ad aliud quod gratis concessum est, non cadere sub merito, si illud quod gratis concessum est, per aliquod tempus non desinat: si autem desinat per aliquod tempus, tunc potest illud quod consequitur cadere sub merito; unde cum prima unio totius humanitatis cum persona Verbi Divini, facta in Incarnatione, desierit in morte Christi, desinente ipsâ humanitate, potuit deinde restitutio illius unionis, facta in resurrectione, cadere sub merito Christi. Ad illud verò quod dicitur de reunionem partium humanitatis, facta in resurrectione, respondetur illam non esse omnino gratuitam, sicut fuit prima unio hypostatica facta in Incarnatione: Christus enim per se primò meruit talem reunionem partium inter se, & ex consequenti reparationem totius humanitatis, & restitutionem unionis hypostaticæ factam in resurrectione.

79. Dices secundò, Eadem fuit unio hypostatica totius humanitatis facta in resurrectione, ac ea quæ facta est in utero beatæ Virginis, in instanti conceptionis Christi; eadem enim numero fuit humanitas, eadem subsistentia Verbi Divini, nullâ de novo interveniente actione unitivâ: Ergo si Christus primam unionem non meruit, neque secundam mereri potuit.

80. Respondeo eandem quidem fuisse unionem, sed discontinuatam & interruptam, prima enim unio hypostatica totius humanitatis cum Verbo, fuit dissoluta in morte Christi, destructâ ipsâ humanitate: unde licet Christus non meruerit primam unionem factam in instanti conceptionis, potuit tamen mereri reparationem, seu restitu-

tionem ejusdem unionis, factam in instanti resurrectionis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum SS. Patres meruerint, aut saltem mereri potuerint Incarnationem, ejusque circumstantias, de congruo?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia, & vera eliguntur.

NOta primò, nomine Sanctorum Patrum intelligi vitos illos sanctos, sive legis naturæ, sive legis scriptæ, quibus futuri Messia facta fuit specialis à Deo revelatio, aut promissio.

Notandū secundò, plura posse in Incarnatione considerari, nimirum ejus substantiam, illius accelerationem, & alias circumstantias, ejusque effectus, qui sunt præcipue duo, scilicet justificatio animarum, & apertio januæ regni cælestis; id est ablatio illius indignitatis, quæ remanserat in tota natura humana, ex eo quod caput illius Deum offenderat; unde fiebat quod quantumcumque particulares homines justi essent, impediabantur à consecutione gloriæ, quoadusque satisfactio æqualis & condigna exhiberetur ab aliquo individuo ejusdem naturæ.

C Nota tertio, congruitatem dupliciter accipi posse. Uno modo pro congruitate fundata in pura misericordia Dei, sine aliquo jure, sive debito ex parte operis. Alio modo pro congruitate fundata in proportionem amicitia, & in opere gratiæ factæ ab amico: amicitia enim, cum sit pars potentialis justitiæ, fundat aliquid debitum, est non strictum & rigorosum, sicut meritum de condigno. Hic ergo loquimur de merito congrui hoc secundo modo, dum inquirimus, an SS. Patres meruerint saltem de congruo Incarnationem? His præmissis.

Circa propositam difficultatem tres versantur Theologorum sententiæ, duæ extremæ, & altera media. Prima quæ est D. Bonaventuræ in 3. dist. 3. art. 2. quæ 2. asserit SS. Patres meruisse de condigno substantiam Incarnationis, non quantum ad principalem ejus effectum, qui est justificatio animarum, sed quantum ad alium minus principalem, qui est apertio regni cælestis. Hanc sententiam limitat Medina ad potentiam Dei absolutam, secundum quam ipse vult potuisse sanctos Patres simpliciter & absolute mereri de condigno substantiam Incarnationis, si intercessisset divina promissio.

Secunda huic immediatè opposita, contendit SS. Patres, non solum non meruisse de condigno, sed nec etiam de congruo Incarnationem. Ita Vazquez hic disp. 22. cap. 4. Theophilus Raynaudus lib. 3. de Christo sect. 2. cap. 1. & alii Recentiores, qui licet concedant meritum de congruo respectu Incarnationis, quantum ad accelerationem, aliasque circumstantias, respectu tamen substantiæ Incarnationis illud negant, eò quod principium meriti, non possit cadere sub merito, etiam de congruo.

Pro explicatione tertiæ, quæ est communis in Schola D. Thomæ, & meritum quidem de condigno Incarnationis denegat SS. Patribus qui illam præcesserunt, sed meritum de congruo illis tribuit, tam respectu substantiæ, quam circumstantiarum illius.

Dico primò, Sanctos Patres, nec meruisse, nec potuisse mereri de condigno Incarnationem quantum ad substantiam.

85. Prima pars patet ex variis Scripturæ locis, quibus unio Verbi cum humanitate immensæ Dei misericordiæ ac benignitati tribuitur, imò ab ea humana merita remouentur. Sic ad Titum 3, Apostolus: *Apparuit (inquit) benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Idem sonant illa Lucæ 1. *Per viscerà misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Et illa Ephel. 2. *Propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos, Deus, cum essemus mortui peccatis, conuiscificavit nos in Christo.* Ea ipsa de causa Christus ad Hebræos 2. dicitur *Gratia Dei.* Ergo ex Scripturâ, antiqui Patres non meruerunt de condigno Incarnationem.

Idiplum manifestè convincit improprio quorumvis actuum puræ creaturæ cum tali præmio condignè promerendo: est enim ad eò sublime & eminens, & supra totum ordinem gratiæ ita elevatum, ut omnis nostrorum meritorum tenuitas subius jaceat, nec ad illud exæquandum possit asurgere: nulla igitur pura creatura condignè de facto promeruit unionem humanitatis Christi cum Verbo.

86. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Ut aliquod opus sit meritorium de condigno alicujus præmij, requiritur quod sit æqualis valoris & dignitatis cum ipso: Sed nullum opus SS. Patrum fuit ejusdem valoris cum substantia Incarnationis: Ergo SS. Patres eam non meruerunt de condigno, quantum ad substantiam, per bona opera quæ elicerent. Major patet, condignitas enim meriti consistit formaliter in æqualitate ad præmij, non quidem omnimoda, sed proportionis, unde dicitur meritum condignum, quasi simul & æqualiter dignum. Minor verò probatur: Opera antiquorum Patrum nec erant in ordine altiori, nec ex perfectiori gratia procedebant, quàm opera meritoria aliorum justorum: At Incarnatio quoad substantiam excedit in perfectione & valore excellentiam & valorem operum cujuscumque just: Ergo nullum opus SS. Patrum fuit ejusdem valoris cum substantia Incarnationis. Major constat, Minor probatur ex eo quod augmentum gratiæ & gloriæ est præmium condignissimum omnium operum nostrorum, quia non sunt nisi in ordine gratiæ, cujus summa perfectio & complementum ultimum est gloria, seu visio beatifica.

87. Confirmatur ampliùs: Ita se habet cum proportionem ordo gratiæ ad ordinem unionis hypostaticæ, quantum ad meritum de condigno, sicut se habet ordo naturæ ad ordinem gratiæ: Sed in toto ordine naturæ nihil potest esse meritorium de condigno ordinis gratiæ: Ergo nec in toto ordine gratiæ aliquid esse potest meritorium de condigno unionis hypostaticæ: unde cum bona opera SS. Patrum qui Incarnationem præcesserunt, solum ad ordinem gratiæ pertinerent, non erant meritoria de condigno unionis hypostaticæ quantum ad substantiam.

88. Respondet D. Bonaventura, quod quamvis opera SS. Patrum non adæquarent in valore substantiam Incarnationis, vel ejus effectum principalem & primarium, effectum tamen secundarium & minus principalem, qui est apertio januæ regni cælestis, exæquabant, subindeque Incarnationem, quantum ad effectum illum secundarium, de condigno mereri poterunt.

A Sed contra: Illud solum adæquat in valore apertionem januæ regni cælestis, quod procedit a gratia capitis, quæ est gratia universalis: At SS. Patres non operabantur ex gratia capitis quam non habebant, sed ex gratia personali: Ergo illorum bona opera non adæquabant in valore Incarnationem, etiam quantum ad illius effectum secundarium, & minus principalem, qui est januæ cælestis apertio: Minor est certa, Major verò suadetur. Bonum commune toti humano generi excedit in valore opus procedens à gratia personali, quia illud est præmium correspondens gratiæ capitis, quæ est majoris valoris, quàm gratia personali: Sed apertio regni cælestis est bonum commune totius humani generis: Ergo excedit in valore opus procedens à gratia personali, & nonnisi ab opere procedente à gratia capitis adæquari potest.

90. Ex dictis confutata manet sententia Medinæ, & probata secunda pars conclusionis: Nam cum opera SS. Patrum ad ordinem gratiæ pertinerent, non solum non habebant, sed nec habere poterant æqualem valorem & dignitatem cum Incarnatione, quæ est ordinis altioris, scilicet hypostatici, qui cum infinitam Verbi Divini personalitatem involvat, est perfectionis quodammodo infinitæ, ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 25. art. 6. ad 4. & magis excedit ordinem gratiæ, quàm ordo gratiæ ordinem naturæ.

C Nec valet quod ait Medina, extrinsecam Dei ordinationem potuisse supplere talem impropotionem, & reddere opera SS. Patrum æqualis ordinis & dignitatis cum Incarnatione. Non valet, inquam: nam extrinseca illa Dei ordinatio non elevaret illa opera supra ordinem gratiæ: Ergo non tribueret illis valorem alterius rationis quàm secundum se haberent, subindeque si secundum se non haberent valorem meritorium de condigno Incarnationis, & intrinsecam proportionem cum illa, illam à divina ordinatione non reciperent. Consequentia manifesta est, Antecedens verò probatur. Illa extrinseca Dei ordinatio non faceret quod hujusmodi opera elicerentur à principio digniori, quàm sit gratia: Ergo non elevaret illa supra ordinem gratiæ, nec consequenter redderet proportionata ordini hypostatico.

D Confirmatur: Ex hac responsione & doctrina Medinæ, sequitur quod opera minus bona & digna possent de condigno mereri præmium majus, & altioris ordinis, quàm opera meliora & magis digna: Sed hoc manifestam involvit contradictionem, dicuntur enim opera magis vel minus meritoria de condigno, quia sunt magis vel minus digna: Ergo &c. Sequela Majoris patet, quia potest operibus minus dignis advenire extrinseca Dei promissio & ordinatio, nihil intrinsecum illis conferens, & consequenter illa non magis dignificans, quæ non adveniret operibus magis secundum se dignis; & sic humilitas Davidis v. g. potuisset mereri de condigno Incarnationem, non verò humilitas B. Virginis, quæ multò perfectior & præstantior fuit.

E Neque obstat quod si Deus promississet alicui operi Incarnationem, per tale opus fieret quodammodo debita; hoc enim non proveniret ex condignitate talis operis, sed tantum ex fidelitate Dei, qui non potest non stare promissis, quamvis opera ex natura sua non exigant quod promittit. Nec est simile de gratia respectu gloriæ, licet enim possit Deus habenti gratiam denegare gloriam, ex absoluto dominio; hoc tamen non

89.

90.

91.

92.

93.

impedit quin opera elicità à gratia & charitate, exigant tanquam primum sibi connaturale & ejusdem ordinis, ipsam gloriam quam respiciunt tanquam ultimum finem, cum gratia sit *fons aqua salientis in vitam eternam*, ut dicitur Joan. 4.

94. Ex dictis inferes, antiquos Patres non meruisse nec potuisse mereri de condigno circumstantias intrinsecas Incarnationis: quia circumstantiæ intrinsecæ alicujus operis, formaliter & ut sic consideratæ, sunt ejusdem ordinis cum ipso: unde circumstantiæ intrinsecæ Incarnationis pertinent ad ordinem hypostaticum, sicut substantia illius: Ergo si antiqui Patres non potuerint mereri de condigno substantiam Incarnationis, eò quod opera illorum pertinerent ad ordinem gratiæ, qui est inferior hypostatico, ob eandem rationem non potuerunt mereri de condigno circumstantias intrinsecas illius. Dixi *circumstantias intrinsecas*, quia si sermo sit de circumstantiis purè extrinsecis, quales sunt circumstantiæ temporis & loci, satis probabile est, SS. Patres illas de condigno potuisse mereri, quia cum illæ per se non pertineant ad Incarnationem, sed per accidens tantum, etiam per accidens tantum spectant ad ordinem hypostaticum. Unde S. Thomas in 3. ad Annibaldum dist. 4. quæst. unicâ art. 4. in corpore, expressè docet accelerationem Incarnationis potuisse cadere sub meritum de condigno, ait enim: *Sancti Patres Incarnationem meruerunt merito congrui, scilicet se ad suscipiendum tantum beneficium preparando, & non merito condigni, quia non eam per meritum hoc modo debitam sibi fecerunt, quamvis sic potuerint mereri ejus accelerationem.* Si nimirum pactum & promissio ex parte Dei intervenisset.

95. Dico secundo, SS. Patres meruerunt de congruo Incarnationem, & quantum ad substantiam, & quantum ad accelerationem, aliasque circumstantias.

96. Ita S. Thomas hic art. 11. ubi sic ait: *Ex congruo meruerunt SS. Patres Incarnationem, desiderando & petendo: congruum enim erat ut Deus exaudiret eos qui ei obedebant.* Ubi cum S. Thomas dicat quod SS. Patres meruerunt Incarnationem petendo & desiderando, manifestum est quod loquitur de substantia Incarnationis, & non solum de circumstantiis, quia SS. Patres non solum petebant & desiderabant accelerationem & alias circumstantias, sed etiam ipsam Incarnationis substantiam, seu ipsius Christi adventum. Idem docet in 3. sent. ad Annibal. dist. 4. quæst. unicâ art. 4. verbis quæ supra retulimus.

97. His etiam locis S. Doctor rationem fundamentalem nostræ conclusionis insinuat: nam SS. Patres piis & instantibus precibus, & ferventibus desideriis, Deum sollicitarunt ut mitteret Filium suum in mundum, ut patet ex illo Isaïæ 45. *Rorate cali desuper & nubes pluant justum, aperiantur terra & germinet Salvatorem.* Et capite 64. *Vtinam dirumpes calos & descenderes.* Illæ autem preces & desideria habebant rationem meriti de congruo respectu adventus Filij Dei: Tum quia congruum erat ut Deus eos exaudiret qui ipsi obedebant. Tum etiam, quia ut docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 15. orationes de necessariis ad salutem, merentur de congruo orantibus ea quæ postulant. Adde quod sancta illa desideria disponebant antiquos Patres ad recipiendum Christum: Sed illæ dispositiones morales habebant rationem meriti de congruo: Ergo SS. Patres meruerunt de congruo substantiam In-

A carnationis, seu adventum Filij Dei in mundum.

Idem dicendum de acceleratione Incarnationis, quam etiam plerique præci justis, piis & instantibus precibus, & ferventissimis desideriis, de congruo meruerunt. Sic Daniel. 9. dicitur abbreviatum fuisse tempus Messias, quia Daniel vir desideriorum erat. Et Psal. 11. David ex ore Dei prænnuntiat, *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam:* quod passim Patres de adventu Christi, propter Sanctorum Patrum ardentissima vota accelerato interpretantur. Et apud Malachiam cap. 3. Christus dicitur: *Domitor quem vos quaritis, & Angelus testamenti quem vos vultis,* qui & idcirco dicitur *venturus statim.*

B Accelerationis porro nomine non est intelligendum quod coitex vocabuli præfert, nempe quod Christus venerit ante tempus quo decretum antea erat illum esse venturum, id enim immutabilitati divini decreti repugnat. Sed nomine accelerationis oportet intelligere virtuale ante-cessionem in Christi productione, siam in eo quod Deus ab æterno propter merita antiquorum Patrum prævisa dependenter à Christo prius ratione prædestinato, sanxerit ut Christus in aliquo certo tempore fieret, & non in ulteriore in quo alioqui fieri potuisset, vel etiam factus fuisset, nisi petitiones & merita justorum prædictorum intervenissent.

C Hinc colligitur SS. Patres meruisse de congruo alias circumstantias Incarnationis, quod patet inductione, nam Scriptura Genes. 22. significat Abraham immolantem filium suum meruisse suâ obedientiâ, ut ex semine ipsius Christus nasceretur, *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Et 2. Regum 7. David pro bona voluntate ædificandi templum Domino magnificentissimum, accepit hanc promissionem in remunerationem, *Suscitabo semen tuum post te &c. Et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quæ verba de Christo interpretatur Apostolus ad Hebræos 1. Similique modo B. Virgo, puritate & humilitate, aliisque virtutibus eximiiis, de congruo meruit esse mater Dei, ut infra ostendemus.

D Adde quod antiqui Patres meruerunt Incarnationem eo modo quo postularunt: At non postularunt eam nude, sed cum omnibus circumstantiis: Ergo eam meruerunt cum omnibus circumstantiis. Major patet ex dictis, nam ipsamet postulatio erat meritum de congruo. Minor verò probatur, quia postulabant Incarnationem ut operantem, petebant enim Christum ut Salvatorem formaliter, & Redemptorem: Sed Incarnatione ut operans, importat circumstantias temporis, loci, personatum, &c. Ergo antiqui Patres non postularunt Incarnationem solum quantum ad substantiam, sed etiam cum omnibus circumstantiis. Unde quando D. Thomas 1. 2. quæst. 98. artic. 4. asserit promissionem quam Deus fecit Abraham, ut Christus ex ejus semine nasceretur, non fuisse propter meritum ipsius, sed ex gratuita Dei electione & vocatione, non aliud intendit, quam merita Abraham non fuisse motivum prædestinationis Incarnationis, etiam quoad circumstantias personarum ex quibus Christus erat nasciturus. Cum quo tamen stat quod fuerit motivum secundarium executionis illius, etiam quoad hujusmodi circumstantias: ita ut Deus primò simpliciter prædefinierit Christum nasciturum

aiturum ex tali femine, scilicet Abrahæ; & in alio signo subsequenti ordinaverit Abraham & alios ab eo descendentes, ad tantum bonum disponi per sua bona opera, quæ prius erant futura ordine executionis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

101. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Antiqui Patres meruerunt de condigno regnum cælorum: Ergo & apertionem illius, subindeque & ipsam Incarnationem, quantum ad effectum ejus secundarium & minus principalem.

103. **R**espondeo cum D. Thoma in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 6. quæstiunc. 2. ad 2. quod antiqui Patres meruerunt introitum paradisi, quantum ad id quod persona est, sicut & nos; tamen quod removeretur impedimentum quod erat ex parte naturæ, mereri non potuerunt, & ideo semper remanebat eis janua clausa. Duo itaque clauderant cælos ante Incarnationem Verbi, scilicet culpa totius naturæ, & indignitas cujuslibet particularis; & licet antiqui Patres per proprium meritum hoc secundum impedimentum remove potuerint, primum tamen non potuerunt tollere, quia ad removendum hoc impedimentum requiritur gratia capitis, quam antiqui Patres non habebant. Unde licet de condigno meruerint apertionem regni cælestis, prout dicit remotionem impedimenti quod se tenet ex parte cujuslibet particularis, non tamen prout importat remotionem impedimenti quod se tenebat ex parte naturæ, per peccatum originale vitiatæ.

104. **O**bjicies secundò contra secundam conclusionem: Sicut se habet ordo naturæ ad ordinem gratiæ, ita se habet ordo gratiæ ad ordinem hypostaticum: Sed nihil est in toto ordine naturæ, quod possit mereri, etiam de congruo, ordinem gratiæ, aut aliquid ad ipsam pertinens: Ergo nihil etiam est in ordine gratiæ, quod etiam mereri possit aliquid pertinens ad ordinem hypostaticum.

105. **R**espondeo negando absolutè Majorem: Quævis enim nihil fit in toto ordine gratiæ quod adæquet unionem hypostaticam, aut ea quæ ad ipsam pertinent, nec consequenter quod eam mereatur de condigno; tamen in hoc differt ab ordine naturæ, quod ordo naturæ præcisè non includit amicitiam cum Deo, benè tamen ordo gratiæ, & sic quia ad meritum de congruo non requiritur æqualitas cum præmio, sed sufficit solum quod fundetur in amicitia, inde fit ut quamvis in ordine naturæ non possit esse meritum, etiam de congruo, respectu gratiæ, possit tamen esse in ordine gratiæ, respectu unionis hypostaticæ, circumstantiarum, & effectuum ejus.

106. **D**ices, Opera ordinis gratiæ magis sunt improporcionata unioni hypostaticæ, quam opera merè naturalia ipsi gratiæ: Ergo si per opera naturalia homo non possit de congruo mereri primam gratiam, à fortiori per opera ordinis gratiæ mereri non poterit unionem hypostaticam. Consequentia videtur legitima, Antecedens etiam est manifestum: cum enim ordo hypostaticus, ut supra dicebamus, involvat personam Verbi Divini, quæ est infinitæ dignitatis & perfectionis, veluti in infinitum excedit ordinem gratiæ, qui cum sit finitus, solum finito modo distat ab ordine naturæ.

107. **R**espondeo distinguendo Antecedens: Sunt magis improporcionata respectu unionis hypo-

A staticæ, physicè & in esse entis considerata, concedo. Moraliter & in ratione beneficii spectatæ, nego. Gratia enim reddit amicum Dei, unde cum inter amicos debeat esse communicatio bonorum propriorum, inde fit quod ille qui habet gratiam, sit maximè proportionatus ad communicandum in bonis propriis Dei, subindeque ad obtinendam Incarnationem in ratione beneficii, quæ est communicatio boni maximè proprii Deo. Ille verò qui habet solum naturam, & qui elicit opera merè naturalia, cum non sit amicus Dei, imò de facto sit ejus inimicus, nullam habet in se proportionem ad communicandum in gratia, quæ cum sit participatio formalis naturæ divinæ, est etiam bonum maximè proprium Deo.

B Objicies tertio: Eodem modo philosophandum est de meritis respectu executionis quæ fit in tempore, & respectu prædestinationis æternæ: Sed respectu prædestinationis divinæ SS. Patres non meruerunt etiam de congruo Incarnationem, alias meruissent etiam de congruo prædestinationem Incarnationis, quod non admittunt communiter Theologi: Ergo &c. Major probatur, quia idem ordo quem res inter se servant in tempore secundum causam & effectum, servare etiam debent in præscientia & prædestinatione divina: unde si voluntas quæ prædestinata fuit Incarnatio sine prævisis meritis SS. Patrum, est efficax, debet etiam in tempore habere effectum independentem ab illis meritis.

C Respondeo, negando absolutè Majorem, ut enim in Tractatu de prædestinatione docuimus, Deus ab æterno secundum ordinem intentionis, prædestinavit homines ad gloriam, independentem ab illorum meritis; ita ut merita hominum prævisa, nullo modo fuerint causa motiva quæ Deum impulerit ad prædestinandum eos ad gloriam. Nihilominus in executione temporali divinæ providentiæ & prædestinationis, Deus nulli adulto confert gloriam, nisi præsuppositis meritis illius. Unde ad probationem illius Majoris, dicendum est, duplicem esse in mente divina ordinem, alium intentionis, & alium executionis, & eundem ordinem quem res inter se servant in tempore secundum causam & effectum, servare etiam in ordine executionis præconcepto & præexistente ab æterno in mente divina; secus verò in ordine intentionis, iste enim cum executione temporali in modo attingendi effectum non adæquatur, sed potius opposito modo procedit, quia ad id unde incipit intentio, terminatur executio.

D Objicies quartò: Principium meriti non potest cadere sub merito, etiam de congruo: Sed Incarnatio fuit principium meriti SS. Patrum: Ergo non potuit cadere sub merito illorum, etiam de congruo. Major patet, nam hac ratione articulo præcedenti docuimus, Christum non potuisse mereri, etiam de congruo, unionem hypostaticam, & in Tractatu de justificatione & merito, ex hoc principio inferunt Theologi, neminem posse sibi mereri, etiam de congruo, primam gratiam justificantem. Minor verò probatur: Omne meritum repertum in antiquis Patribus, fuit ex gratia collata per Christum: Sed gratia collata ex meritis Christi, supponit Incarnationem tanquam sui principium: Ergo & merita Sanctorum Patrum, Incarnationem tanquam sui principium supponebant.

E Mirum est, quantum hoc argumentum Theologorum ingenia torqueat, & in quam varios di-

108.

109.
Disp. 2.
Art. 3.

110.

111.